

occasionem dedere, sanguinem inter reliquos humores plurimum exuperare tum ingens inflam-
 matio, tum dolor pulsatorius, durissimusque; pulsus monstrant; ad hæc corporis habitus, temperiesque; cali-
 da, anni tempus, & uenæ tensæ, quæ non nisi sanguine abundante tales esse possunt. Sic pituitæ exu-
 perantis testimonia sunt uictus, anni; tempus præcedens, & falsedo, quæ in ore percipitur. At bilem
 plus iusto in corpore redundare, oris amaritudo, iuuenilisque; ætas significant. Habet ergo hæc inflam-
 matio sanguinem copiosum cum excessu aliquo reliquorum humorum causam coniunctam, ex qua
 materiam sumit, fit, & constituitur. Subiectum uero illius, siue locus affectus est utraq; membrana una
 cum musculis intercostalibus; præcipuè tamen interna patitur, quod dolor punctorius, & tensio ad su-
 periores, inferioresque; thoracis partes monstrat. Ceterum huiusmodi humor ex fluxione in affecta par-
 te est collectus, quod subita generatio ostendit. Fluxionis autem materialis cã sanguis est multus cū
 reliquis humoribus permixtus: terminus uero à quo commotus est humor, est caput, ut naturalis so-
 cietas cum parte laborante, & occasio mali docent; quamquam tñ nunc uniuersum corpus grauatum
 à multitudine in dolentem locum sese exonerat. Est autem terminus in què decumbit humor, thorax, B
 & in eo sinistra pars, & (ut diximus) utraq; membrana, potissimum tamen interior. Via, per quæ humor
 descendit, sunt uenæ, & arteriæ, quæ in sinistra corporis sunt parte; quibus coniungitur thorax cum ca-
 pite. At humorem commouerunt Sol & Aquilo, ille fundendo, hic exprimendo, & nunc est dolor la-
 teris, qui expultricem irritat. Quæ omnia ancipitè euentum testantur. Nam magnitudo, malignitasque;
 inflammationis, magnaque omnia accidentia, magnæ causæ, ut magna fluxio, uariis, & copiosis hu-
 mor, multi, magnique; morbi, qui corpus prima die uehementer urgent, periculum portendunt. At uali-
 dæ vires, bonus corporis habitus uernum tempus, felixque; uictoria cum præterito malo, spem salutis
 non adimunt. Cui rei illud quoque; fauet, quod pauci ex simili morbo eo tempore perierint. Licebit tamè
 certius prædicere progrediente aliquantulum morbo, qui adhuc crescit, ex sputo, urina, aliisque; excremen-
 tis, & naturæ operibus sumptis indicijs. Quinetiam ex adhibitis opportunis auxilijs indicia capient.
 Nam si illis cedat malum, certam salutem pollicetur, sin minus mortem expectandam esse præmonet.
 Erit autem breuis morbus, quoniam summa omnia habet, quæ naturam ad celestimam pugnam inui- C
 tant. Reliqua uero, quæ ad prædictionem futurorum pertinent; ueluti est solutionis modus, ordo, locus,
 & reliqua, prædicta, non datur, donec accedat ex alijs fontibus reliqua indicia, prædicere. Quare ad ea
 properandum est, quæ succurrere laboranti sint apta. Itaque; quum in eo reperiantur hæc mala, quibus
 opitulari nos oportet; fluxio (inquam) fluxionis causæ inflammatio, febris, illiusque; causæ, fluxioni im-
 primis repugnandum esse indicat illius uehementia, quæ adhuc non sistitur. Verum quoniam pluri-
 mum etiam urget inflammatio, ut quæ ad insignem magnitudinem iam peruenerit, causaque; fluxionis
 sanguis inquam, humorumque; copia cogimur tentare præsidia, quæ utriusque; malo pari ferè auxilio suc-
 currant. Id quod imprimis præstant, quæ sensibiliter, & æqualiter à locis non admodum propinquis,
 uel distantibus à loco laborante euacuant. Mittetur ergo (inieceto prius clysteri, quem indicant præmit-
 tendum excrementa alui iam per tres dies retenta) sanguis ex cubiti uena interna sinistri brachij; de-
 traheturque; & multum, & confertim; quia uehementia & magnitudo fluxionis, & inflammationis ita
 postulant. Sequenti uero die purgationem moliemur, per ea, quæ leuiter tres humores cum sanguine D
 redundantes educant, id. n. indicant noxij illi succi, qui fluxionem fouent, & dolorem intèdunt. Interim
 dolor mitigandus, qui fluxionis est alia causa, & capiti adhibenda, quæ partim calefaciunt partim re-
 frigerant, quoniam duplex occasio fluxionis ex aere, docuit duplicem relictam in eo membro impressio-
 nem, & dispositionem. Nec oberunt si quæ adhibeantur collo ad uenarum constrictionem, per quas
 humor decurrit. Nam & hæc causa quædam fluxionis est. Deinceps sedata fluxione, instituenda, quæ
 ad resolutionem inflammationis, & sputum faciunt pro natura, & copia materiæ. Tum est coctio in
 cumbendum humoris, qui febrem committit. Victus autem eodem tempore instituendus tenuissimus,
 postulante ita affectus uehementia, & permittentibus uiribus quas validas esse statuimus. Postremo
 purgandum erit corpus cocto iam humore, & declinante febre, si ad salutem inclinauerit morbus per
 eam partem, ad quæ urget natura, nisi illa sese ab omnibus malis perfectè vindicauerit. Atque; hæc sunt,
 quæ breuiter in hoc casu dicenda esse putauimus, ut studiosi discant re contrahere, ubi opus est, & ex uno
 uniuersali casu singulares elicere. Nam licebit ex illo uniuersali acceptis certis differentijs, certisque; cau-
 sis nunc eiusdem naturæ, nunc diuersis infinitos casus fingere, uel consultationes instituere, quales res,
 locusque; postulant. Neque. n. ubi præceptum est malum, omnia prolixè explicanda sunt, sed statim curan-
 dum est, ut laboranti nostro consilio succurramus. Verum ne quis miretur nos historiam quandam nar-
 rasse, & casum proposuisse, de quo nullam in præceptis de consultandi ratione mentionem fecimus paucis
 illi satisfaciendum esse duximus, ut oia intelligantur certa arte constare, & à suis principijs duci. Nam
 ideo historiam huius inter consultationis partes haudquaquam posui; quod illa uel ab ægotante narre-
 tur; uel ab adstantibus; aut ab eo dumtaxat medico, qui primo loco dicit, qui que nondum accersitis
 alijs medicis laborantis salutem procurabat. Quare merito præmittuntur in præceptis nostris, quæ
 uel medicis propria non sunt, aut certè non omnibus accommodata: & tanquam nota ponuntur.